



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Animae Illvstres Ivliae Cliviae Montivm Marchiae  
Ravenspurgi Morsae Annexarvmqve Provinciarvm E  
Monvmentis Calamo R. P. Theodori Rhay. Societatis Iesv  
Redivivae**

**Rhay, Theodor**

**Neobvrgi Ad Danvbium, 1663**

XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10835**

di ad superos viam docuit. Ex Apparatu Geleniano, & Annal. Perarj.

## XXVIII.

**I**bidem ad AQUAS GRANIAS sanctissime exspiravit CAROLVS merito suo Magni nomen relinquens sub annum DCCC. XIII. etatis LXXII. nihil præter Christianæ religionis incrementum, & eternitatem in oculis habens. Novem Episcopatum Sedes, & Cœnobia, ad Alphabeti Græci numerum, quatuor supra viginti erexit. Basilicam MAGNÆ DEI MATRI visendam AQUIS condidit. cuius dedicationem mirabilem immo stupendam faciunt Auctores gravissimi, Canisius in Martyrologio, Chappeauille in Chronicis, Placentius, & recenter ex Antiquitatibus manuscriptis TUNGERENSIS Ecclesiæ Rarus Chronologus R. P. Jacobus Lobbetius Societ. IESV in Gloria sua Leodiensis Ecclesiæ; totam rei seriem sic refert compendio. Optabat CAROLVS, animo & re Augustus, ad augustiorem reddendam dedicationis solemnitatem, eidem interesse tot Episcopos, quot annus dies numerat scilicet 365. aberant contra Caroli votum duo, quod impleuere quondam TUNGRENSIS Ecclesiæ Episcopi MONVL-

PHVS & GONDVLPHVS e monumentis suis de-  
 repente progressi reliquis, ingenti mixto stu-  
 pore gaudio, eousque assidentibus, donec de-  
 dicatione Basilicæ peractâ, acceptâque à Leone  
*Christi Vicario* benedictione discessêre, & suis se  
 ipsi sepulchris reddidêre, scenâ nimirum peractâ,  
 cuius ergo venerant. Hac prodigiosâ solemni-  
 tate impletâ, alteri, S. SVIBERTI scilicet *Canoni-*  
*zationi, Cesaris Insulae* CAROLVS adstitit, quæ  
 prima omnium solennis fuit, & cui sacrum  
 augustumque lumen addidêre tum ipse Leo  
*Pontifex Max.* tum *Cardinales,* tum *Archiepiscopi,*  
 & *Episcopi* varijs è locis exciti. Rebus Ecclesia-  
 sticis in hunc modum rite ordinatis, *Syriam,*  
*Hispaniamque* totam à Saracenis liberavit. *Ec-*  
*clesiam Romanam Longobardorum* immanitate op-  
 pressam, victis Barbaris, in libertatem asseruit.  
*Daniã, Sclavoniã Saxoniã,* 33. annorũ Bello, idolola-  
 triam abijcere compulit. Pauperes quoscun-  
 que, etiam in *Syriam & Palæstinam* usque in-  
 opiã laborantes benignissimè fovit. *Romana A-*  
*postolorum Limina* *Voti causâ* quater, & celebrẽ S. *Ia-*  
*cobi in Galliciã* *adem semel summâ Religione* adiit. *Ve-*  
*stem pilis Camelorum* *rigentem,* *maiorẽ vitæ partem ge-*  
*stavit* & si quas animi corporisque labes contraxit,  
 asperis

asperis jeunijs, vigilijs, lachrimis effusis ita de-  
leuit, ut *Diuorum illi post mortem triumphus à Pa-  
schali Pontifice decretus sit, celo PONTIFICIS fa-  
ctum signis approbante. Eginhardus, Bauaria sancta,  
Canisius, Chapeauille.*

## XXVIII.

**D**Efert & MVNDA in *Satrapia IULIACENSI*  
annuum honorem S. IRMVNDO *Confessori*  
*Patrono suo. Sanctus* hic ex pastoriciâ simplicitate,  
quasi *alter AMOS*, ex latebris vicinæ olim Sil-  
vulæ prodiens, publicum communitatis gre-  
gem pascendum suscepit, ut eâ occasione ru-  
diores Diuini verbi pabulo pasceret. Aperuit  
*merita eius annus M. DC. II. cum Batavus miles, va-  
stato Luxenburgensi agro, per IULIAM ad suos*  
rediret, inter alias vitæ militaris insolentias,  
etiam templum in MVNDA diripuit, imagines  
altaribus impositas disiecit, sacris se Sacerdo-  
tum vestibus induit, funeribus consueto campa-  
narum sono signum dedit, & statuis funeris ri-  
tu, in Sanctorum ludibrium circumlatis eas  
medio in templo flammis absumpsit (*Vestigijs*  
*etiamnum remanentibus*) quas inter S. IRMVNDI  
*eiusque tumba, in qua quiescebat, Dei tamen*